



DEO OPTIMO, MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCE,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA;

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis,
vigesimâ Martii, 1727,*

M. ALEXANDRO PETRO MATTOT.

REI HERBARIÆ PROFESSORE,
Doctore Medico, Præfide.

An à Moderatâ exercitatione firmior sanitas?

I.



ATURAM humanam motum perennem diceret: hoc stat, hoc conservatur. Solidæ fluidæque corporis partes jugiter agitantur, ubi prorsus desides mors sequitur ineluctabilis. Partium structuram intuerè: invidiatas comperies ut moveantur. Cor mirum naturæ artificium, nec purpurei laticis avarus largitor, per universum corpus suas opes diffundendo, motui perenni invigilat. Hepar, Renes, Pancreas, aliaque hujusmodi incerniculat,

quod alendo ineptum est, secernendo dicata sunt; hinc naturam motu delectari intelligas, hinc concoquit, ibi secernit, hinc assimilatur, ibi expellit; ipsius sunt leges simplicissimæ, quas systematum farragine explicare ne contendas, ne quod simplicissimum est aut obscurius, aut confusius evadat, sicque naturam quæras in næniis. Infinitos prope modum diversæ structuræ tubulos tibi sige motos à præterlabente sanguine, hæc cognitio tibi sit Medicinæ rudimentum; ab expedito & æquali partium solidarum fluidarumque motu, sanitatem, à præpedito, morbum desume: hæc cognitio tibi sit omnis instar Medicinæ; tandiu enim apud te hominem constet vivere, tandiu machina moveretur, tandiu autem secundum sanitatis leges moveri, tandiu solidas inter fluidasque corporis partes æqualis motus conservatur, hic à rerum non naturalium usu potissimum dependet, à moderatâ ex omni parte exercitatione.

I I.

VIVENS à non vivente solis actionibus distinguitur, quid enim vita nisi actio? quid actio nisi motus? quotquot igitur in humano corpore obeuntur functiones, circulari sanguinis motu perficiuntur, ita ut eo firmiores futuræ sint, quod erit sanguinis circuitus activior, eò verò debiliores quod tardior. Hinc longè firmiorem is sanitatem nanciscitur, qui naturæ genio obtemperans, moderatâ utitur exercitatione; cum enim ea sit hominis conditio ut cibo, potu, & aëre illæsus diu carere non possit, inde multos exuberantes succos in humano corpore generari necessariò sequitur, qui pro diversâ sui indole, diversos morbos solent parere; licet enim una eademque sit morborum causa, videlicet liquidi stagnatio, pro tamen diverso succorum acescentium genere, diversa affectuum præter naturam exurgit facies; sic licet unum idemque acidum solidarum fluidarumque partium motum inturbet, pro tamen diverso aciditatis gradu, diversimodè motus hic aut depravatur aut labefactatur. Totus sis igitur in humorum excrementitiorum expulsionem, quorum pars maxima à moderato exercitio nisi foràs eliminetur, infinitorum propè morborum satura vel infælix futura est. Vias quibus id exercitium præstet quæris? ad transpirationem attende, quam omnium evacuationum longè majorem, & copiosissimam (experientiâ teste) comperies: ab hac quantum utilitatis accedat humano corpori, quamque inde sit expeditior sanguinis circuitus, solus noscat is qui moderatè exercetur.

III.

QUI liberum sanguinis circuitum, & debitam ipsius defæcationem, sanitatis dona negaverit, is sanitatem negando ægrotat; in eo tota posita est, ut purpureus latex circuiat & defæcetur, illius circuitum & defæcationem, aut quod idem est, partium solidarum fluidarumque æqualem motum fove, sanus eris. Quæris interim sanguinis principia? duplici parte constare, rubrâ videlicet, & ferosâ vel primus te doceat conspectus; aquâ, salis volatilis & sulphuris copiâ, tantillo salis fixi, acido nullo, aut pene nullo constari, te chymica docebit analis. Duplicem in sanguine motum præcipuè agnoscas, progressivum & intestinum: progressivo circularis sanguinis motus absolvitur, intestino, partium essentialium fermentatio: ad hunc duplicem motum conservandum, diversa ab arte inventa sunt exercitationum genera, quas omni ætati, sexui, temperamento (si modum non excedant) mirum in modum conferre existimes; apud te igitur sicut pueris, sic & senibus suum sit exercitium; nec minùs convalescenti, quam bene sano concedatur. A morbo vis fibrarum elastica imminuitur, debilitatæ franguntur vires, à deambulatione restaurantur, firmiter roborantur in sanitate; utque homo comedens sanus esse nequit nisi multum exerceatur, hoc tibi sit ingens sanitatis tutela, non satiari cibis, & impigrum esse ad laborem; indè firmantur membra, excrementitiorum humorum inaniuntur reliquiæ, à quibus penè suffocata reviviscit blanda, & naturalis liquidorum fermentatio, maximè si pro modulo virium, innatâ corporis temperie, & probatâ consuetudine exercitia imperentur.

IV.

INTER tot exercitationes quæ partim animi, partim corporis motu perficiuntur, eas potissimum tibi selige, quibus nullo modo divexeris; hinc eas exercitationes fuge quæ nervis & omnium musculorum nisu perficiuntur, annexamque habent cum agilitate velocitatem & robur; hæc etenim Athletis potius quam sanitati consulentibus, linquendæ sunt: sic cæstus, hoplomachia, pancratium, fossio, laboriosaque rusticorum vita, lacertis addunt vires, & ad præmia in certaminibus promovenda, valentiores quidem homines reddunt, sed menre minùs expeditos: quæ circa pisces aquâ educendos versatur, licet minus valens sit exercitatio, ideò tamen tibi non sit jucunda; hæc etenim propter tarditatem, aquarum tædium, & injurias causaria, vilioribus fuit derelicta mancipiis. Accipitraria plus te delectetur

licet plena, sed jucundæ servitutis. Equestris interim venatio tibi sit in deliciis, hæc nulli incognita cælo, quadrupedes canibus infectatur & armis; sicque ingenium acuit & sensus, capitis langores tollit, pectoris curat morbos, & viscera reddit defæcatoria. Nec minus sanitati conferre putes leviora exercitia, cujusmodi sunt pila-malleus, parvæ pilæ lusus, ambulatio, cæteræque hujusmodi exercitationes; hisenim, transpirationis ope corpus sese exonerat excrementis, regia sternitur via humoribus, vasorum tubuli & cæci meatus apparantur ad excipiendos spiritus, qui ad vitam meant, & ad motum, & sensum animæ impetu rapiuntur.

V.

O TIO torpere indignum vivente putes; hoc rigidiora efficit fermenta, coagulationes parit in liquoribus, fermentationes extinguit vitales, & reciprocos purpurei laticis motus retardat, hincque solidorum fluidorumque functiones aut depravantur, aut labefactantur, moderata verò exercitatio, liquidorum promovet distributionem, sopita nimis excitat corporis fermenta, succorum juvat depurationes, unde partim animi partim corporis motu, blandè recreati spiritus, validiores exurgunt, à quibus non solum vita fovetur, sed & firmatur. Quietem igitur inter & motum, nullum non divides diem, nisi ad perpetuam Medicorum opem suspirare velis, pro iis curandis ægritudinibus, quas moverit torpentis vitæ satietas: nec te ergò gula, nec otium faginent: multa pinguedine obrutum corpus ægrè trahes, interdum ægrius mentem, ambitiosaque eduliorum varietate factus præpinguis Epicuri de grege porcus, mentem otio incrassabis; hinc Medicorum consilio, ad frequentiore phlebotomiam & purgationem confugies, quæ turgescentes crudis succis venas vacuabunt, & pro tot sordibus, quas gula & otium peperere, tibi sus deque emeticum exhibebitur, pro quibus vitandis, gulæ parcere tibi sit consilium, nullo modo moderatæ exercitationi.

Ergò à Moderatâ exercitatione firmior sanitas.

Proponebat Parisiis DESIDERIUS - CLAUDIUS
FREMONT, Parisinus, Baccalaureus Medicus..

A. R. S. H. 1727.